



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Nos velle esse iustos iustitia legis, non fidei. tit. 290

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

diù quis maneat sub obedientia Apostolicæ Sedis in fide aut nauicula Petri, non deficiet. Securi sunt catholici à Turca, Gentibus, sectis varijs. manet vnitas Ecclesiæ catholicæ, deuota ministratio Sacramentorum, & vniformis fides, &c. sed è diuerso, quàm primum fit defectio & auersio à fide & obedientia Petri atque Sedis Apostolicæ, tunc sequentur variæ sectæ, bella, perditio fidei, atq; apostasia. Nam Christus non orauit pro fide sectarum contra Petrum, sed pro fide Petri, &c. ne deficeret: nec enim vnquam præualebunt sectæ, sed fides & confessio Petri, Mat. 16.

*SEQUUNTUR CAUSAE CUR
a nobis recesserint sectæ urgente conscientia, ut falso prætendant.*

TITVLVS CCLXXXIX.



Rima est, quia inquirunt, tribuimus operibus effectiuam causam, id est, virtutem & meritum iustificationis, seu remissionis peccatorum & salutis, & nõ passioni & sanguini Christi, sicut faciunt Iudæi, qui iustitia legis solum sunt iusti, & putant mereri remissionem, Rom. 10. Volentes suam iustitiam statuere &c. sed de his ordine dicemus.

*NOS VELLE ESSE IUSTOS
iustitia legis, non fidei.*

TITVLVS CCXC.

Causa I.



Sectæ (vt diximus) prætendunt aliquas causas sui recessus à communi & catholica Ecclesia & vnitate, quarum prima est, quòd non sciamus nec doceamus aliã iustitiam, præter legis, sicut Iudæi, hac doceamus hominẽ esse iustum corã Deo. Subinde quòd

dè q̄ oportet mereri remissionem peccatorum & vitā æternam, & cum hoc sit penitus negare & conculcare Christum, ergo urgente conscientia dicunt se iuste à nobis recessisse, Gal. 2. Si ex lege est &c. Primò notandum est, quòd Deus ordinauit, & per Euangelium proclamari iussit, vt quicumque credit in filium suum Iesum Christum, quòd is sit vnicus mediator propter quem velit misereri, & quòd sanguis suus effusus sit pro peccatis nostris, Roman. 4. Illum vult reputare iustum, iustificare & saluare, Ioan. 3. Hæc fides debet credenti reputari, putari pro iustitia, sicuti Abrahama Gen. 15. Subindè supra hæc promissionem accedimus ad Baptismum, & promittimus credere in Christum, & recusare pompis sathanæ, & sic baptizatus, est iustus coram Deo propter hanc fidem in Christum, iuxta illud Marc. vlt. Qui crediderit & baptizatus fuerit, &c.

Postremò hæc iustitia fidei præcedit longè ante iustitiam operum, id est, antequam seruo legem: sed Iudæi quia non habent iustitiam fidei, id est, non credunt in Christum, nec baptizati sunt, nolunt enim Christum regnare supra se. Luc. 19. sed solùm iustitia legis esse iusti, sine fide Christi, ideò taxat illos Paulus Rom. 10. Volentes suam iustitiam statuere, id est, esse iusti sola legis obseruantia, & solis suis ceremonijs & hostijs: & illi nesciunt aliam iustitiam præter legis, & reputant se satisfacere legi, si foris simulant opera legis sine fide Christi: & sic contemnunt iustitiam fidei, quam Deus in Christo ordinauit.

Secundò, inquit Paulus Roma. 3. Nos Christiani arbitramur nos primò iustificari fide, id est, in Baptismo, gratis, sine operibus legis præcedentibus, solùm propter fidem in Christum. & hæc fides nobis est & reputatur primò pro iustitia, ideò est articulus fidei, Credo in Dominum IESVM Christum. Subindè inquit,

inquit, legem autem per fidem Christi, quæ apprehendit iustificationem, non destruimus, sed statuimus & præcipimus, ut obedientia præceptorum diuinorum sequi debeat necessariò quia Deus præcepit Exod. 20. & Christus repetijt Matt. 19. & in hunc finem etiam dedit Spiritum sanctum baptizato, Act. 2. Tit. 3 quatenus retentionem iustitiæ fide retineat. Nam si secundum carnem vixerimus, &c. Roma. 8. 1. Cor. 6. Ephes. 5. Gal. 5. Tertio, dedit etiam promissionem possessionis vitæ æternæ ex gratia, Matt. 25. Venite benedicti, &c.

Tertio, ex prædictis liquet, quòd non tribuimus causam effectiuam iustitiæ legis, sed fidei in Christum. Hanc oportet in Christiano primum adesse, & alteram subindè non omittere, Matthæi 23. Altera probat adesse primam & testatur, sed non fundatur fiducia salutis in illa, eò quòd est imperfecta propter motus corruptæ naturæ. Ideò docuit Christus dicere, Lucæ 17. Cùm feceritis omnia, dicite, quoniam serui, &c. ideò nemo Catholicorum docet se esse iustum sola iustitiæ legis coram D E O: subindè nec mereri iustificationem, id est, remissionem & salutem. Christus illam semel meruit, Hebræ. 9. nobisq; per fidem & Sacramenta distribuitur, & obedientia legis retinetur.

Quarto, alia res est iustificatio, id est, remissio peccatorum. Nemo potest sibi ipsi per sua opera remittere peccata, ideò solus Deus remittit peccata propter fidem in Christum, Actor. 10. & 13. Per hunc denunciat remissio &c. Alia quoq; res est remuneratio operum, quæ iustificati faciunt, id est, centuplum, Mat. 10. Ideò differunt gratuita iustificatio, & operum remuneratio. Ex prædictis igitur liquet mendacium sectariorum contra Catholicos, & quòd iniuste recesserunt à communi Ecclesia, eò quòd nemo nostrum dicit se iustum iustitia legis, 1. Corint. 15. Gratia Dei

Gratia Dei sum id, quod sum & nemo reijcit Christum, Gal. 2 Non abijcio gratiam Christi, qui solus meruit nobis salutem.

NOS DUBITARE DE REMISSIONE PECCATORUM.

TITVLVS CCXCI.

ALTERA causa, quam prætendunt sectæ, quod iuste à nobis recesserunt, est; quia docemus homines dubitare an habeant remissionem peccatorum, necne: Docent enim, inquit, quod oportet hominem habere sufficientia bona opera, si vult saluari, sufficientem habere contritionem, omnium peccatorum enumerationem in confessione, ac satisfactionem plenam & sufficientem, cum tamen nec sectarij sciunt, num habeant fidem sufficientem. Sed cum hoc nemo scire potest, quando habet sufficientem iustitiam operum, idèd relinquunt hominem sic incertum, & non dant firmum fundamentum certitudinis fidei remissionis & fiduciæ in nudam misericordiam Dei, &c. & probant, Eccles. 9. Nescit homo vtrum amore an odio dignus sit, &c. sed quia sic cõrumelia afficiunt Christum, idèd iustè recessimus.

Causa. 2.

Primò notandum, quod homo naturali ratione nescit, an odio aut amore dignus sit, an habeat remissionem peccatorum & gratiam Dei vel non, &cæt. quando cunctis ex æquo veniunt bona & mala, fortuna & infortunium, iustis & malis, &cæt. & sic de casibus calamitatis aut prosperitatis præsentis vitæ loquitur Ecclesiasticus: at dedit Deus homini verbum suum, scripturam & promissiones, vt non ratio, sed fides hic se fundet, & credat scripturis, & illæ nos certificant, quoniam Deus mentiri non potest, Heb. 6, Ergo qui non credit Dei verbo, mendacem eum facit, i. Ioann. 5. Promittit ergo Deus, quoniam pro-

SSf ptes